20.

FACULTAS MEDICINÆ PARISIENSIS. N°. 15.

Competitio ad aggregationem,

JUSSU REGIS OPTIMI,

ET EX MANDATO SUMMI REGIÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI,

INSTITUTA ANNO 1823.

Membranæ mucosæ gastro-intestinalis affectiones variæ quæ in febribus hùc usquè essentialibus dictis sæpissimè occurrunt, sunt-ne

morbi { causæ? effectus? complicationes?

THESIS,

Quam, Deo favente, in saluberrimâ facultate medicâ parisiensi, præsentibus competitionis judicibus, publicis competitorum disputationibus subjiciet et propugnare conabitur, die mensis anno 1824,

F. MÊLIER, Medicinæ Doctor, etc.

PARISIIS,

TYPIS FAIN, JUXTA ODEON.

1824.

Præses . . . . . D. ESQUIROL.

Judices. . . . DD.
- LANDRÉ-BEAUVAIS.
- RECAMIER.
- BERTIN.
- FIZEAU.
- CAYOL.
- ROYER-COLLARD.
- JADIOUX.
- ALIN.

Vices-gerentes. DD.
- KERCARADEC.
- PARENT DU CHATELET.

Competitores :

DD. DELONDRES, ROCHOUX, GÉRARDIN, DECHAMPESME, CRUVEILHIER, PIORRY, LEGRAS, BAILLY, RAMON, MIQUEL, DESTOUET, MARTIN-SOLON, DUPAU, DUGÈS, ANDRAL, GIBERT, TUFFIER, BAYLE, VELPEAU, MÊLIER, LEGER (Victor), LEGER (Théodore), BOUILLAUD.

THESIS.

Membranæ mucosæ gastro-intestinalis affectiones variæ, quæ in febribus hùc usquè essentialibus dictis sæpissimè occurrunt, sunt-ne morbi causæ, effectus, complicationes?

Antequam aggrediar maximam hanc thesim, de quâ gravissimæ sunt inter medicos contentiones, mihi necessarium videtur saltem indicare læsiones membranæ mucosæ gastro-intestinalis, quæ sæpissimè in febribus occurrunt.

Innumeræ quidem illæ sunt ac variæ; pertinent ad membranæ colorem, quæ aut magis rubet, aut tantummodò rosea, atra, nigra, nunc pallidior, nunc nigris punctis maculosa; ad ejus mucositatem, quæ est aut uberior, aut crassior, aut tenuior, aliquandò nulla; ad ejus crassitudinem, interdùm magis auctam; ad ejus densitatem, modò usquè in scirrhum induratam, nunc usquè ad pulpam emollitam; ad ejus exanthemata, quales sunt pustulæ, vegetationes, fungositates, ulcera quæ maximam exhibent varietatem, et aliquandò jam ad cicatricem pervenerunt; ad ejus gangrænas, sæpè latiùs grassantes; deniquè ad invaginationes aut coarctationes quæ videntur ex inflammatione pendere, etc.

Nunc investigandum est quænam sit affinitas febrem inter et læsiones illas multiplicem in modum varias, quas mihi perstringere solùm necesse fuit : hùc thesis.

Novæ doctrinæ auctor, quidem clarus, qui sibi videtur proposuisse veterum placita, vel firmissimè constituta, subvertendi, ex illis læsionibus semper atque omninò febres proficisci arbitratur; con-

tendit rem sic se habere vel cùm lævissimæ sunt. Dùm præstantiam nimiam ventriculo visceribusque abdominalibus tribuit, his in partibus cujuscumque febris sedem collocat. Si credendum est huic medico, et illis qui ejus disciplinam amplectuntur, febres nihil aliud sunt, nisi gastritides, gastro-enteritidesque. Phlegmasia gastro-intestinalis, morbus est primitivus, præcipuus; symptomata, febris varietas, intensitas, modus, omnia deniquè ex illâ decurrunt.

Alii, et veterum plerique qui de pyretologiâ scripserunt, febrem tanquam diathesim universam habentes, per se existentem, opinantur omnes has læsiones in universum, et singulas quæ in intestinali fistulâ reperiuntur, tantummodò defluere ex illâ diathesi, ex febre quæ visceribus vim intulit.

Alii, quos inter professor Pinel inclaruit, has læsiones levis momenti, fortuitas, necessario et constanti morbi modo alienas, et duntaxat meras complicationes esse arbitrant.

Suam quisque doctrinam argumentis, quinetiam rebus adjuvat.

Unica est ratio veritatis perspiciendæ in hoc maximo certamine, nempè si inspicias, remoto omni partium studio, causas, symptomata, morbi tenorem et secta cadavera in quâcunque febre; tunc quænam sit pars læsionum gastro-intestinalium, in febre commovendâ, patebit.

Hanc investigationem aggrediar. Fortassè indè comperiemur, quod conjecturâ possumus præcipere, has læsiones, quarum vim et partem in febribus indagamus, modò causas esse, modò effectus, modò meras complicationes, ita ut, cujusque sententia in se haberet vitii quòd aliorum sententias excluderet.

Quâ in re tantùm ad veritatem specto, non mihi mens est hanc aut illam doctrinam tueri.

Febrium ordinationem maximè usitatam sequar : ità subindè inspiciam intestinales læsiones :

1°. In febre inflammatoriâ,

2°. In febre biliosâ,

3°. In febre mucosâ,

4°. In febre adynamicâ,

5°. In febre ataxicâ,

6°. In febribus pestilentibus : { typho, flavâ febre, orientali peste,

7°. In febribus intermittentibus,

8°. In febre hecticâ.

Cùm causa febris efficiens, evidenti modo, ventriculum ac fistulam intestinalem affecerit; cùm symptomata indè, velut ex communi fonte, profecta erunt; cùm eorum pleraque et præcipua consentient cum læsione viscerum abdominalium; cùm indicatio in eo erit præsertìm, ut eadem illa organa curentur; deniquè, cùm præcipuæ cadaverum læsiones constabunt ex gastro-intestinalibus læsionibus, contendam febris præcipuam sedem his in visceribus fuisse, atque ex illis febrem ortam esse.

Ubi verùm deprehendero causam morbi efficientem, illæsis ventriculo ac intestinis, in quamvis aliam remotam corporis partem vim suam exercere; ubi animadvertero viscera, digestioni inservientia, esse illæsa, aut jàm vigente morbo dolere, dicam eorum læsiones, febrem consecutas non potuisse febris causam esse, enim causa effectum anteire debet; tum mihi hæ læsiones morbi effectus et consequentia videbuntur.

Deniquè dicam has læsiones meras esse complicationes, ubi nulla apparebit manifesta affinitas inter eas et febrem; cùm nec causæ, nec effectus poterunt haberi; deniquè cùm morbo alienæ, quodam modo, videbuntur; ita ut, sublatis illis, mutationem nullam experiretur morbi tenor.

Fatendum est in his discernendis multùm plerumquè esse difficultatis; nec tantùm confido ut sperem me futurum erroris expertem.

§ 1. *De læsionibus gastro-intestinalibus in febre inflammatoriâ.*

Inspiciamus ordine quæ sint ejus causæ, symptomata, curatio, et quid dicere liceat ex anatomiâ pathologicâ, ad cognoscen-

dum quid affinitatis habeat hæc febris cùm læsionibus gastro-intestinalibus.

1°. Huic morbo prædispositiones sunt, testibus omnibus iis qui de pyretologiâ disseruerunt, pubertas, juventus, sanguineum temperamentum, victus succosior, verbo dicam, quiquid plethoram efficere potest; hæc enim plethora maximè favet febri inflammatoriæ movendæ. In hoc corporis habitu, cor indesinenter excitatum sanguine vivido et copioso, aptissimum ad irritationem est. Nimia irritabilitas cordis, sine plethorâ, interdum est quoque prædispositio febri inflammatoriæ, fortassè frequentior atque efficacior quàm putant.

Quibus datis prædispositionibus, febrem inflammatoriam causæ variæ excitant, quæ nunc vim inferunt in cerebrum, qualis vehementior animi affectus, iracundia, insolatio; nunc in pulmones, qualis ventus frigidior; nunc in ventriculum et intestina, qualia alimenta excitantia, vina generosa, liquores; nunc in musculos, qualis vehemens exercitatio; nunc in diversas corporis partes, qualis hæmorrhagia supressa, etc..... Hæ variæ causæ vim suam exercent, aut inflammando partes quas afficiunt, aut cor ipsum irritando.

2°. Præcipua symptomata sunt eadem quæ plethoram indicant, tensio, agitatio minor majorve sanguinis: hæc phænomena quodam modo morbum constituunt; ea præsertìm inspexerunt auctores, qui inde talia nomina deduxerunt: nempè, febris sanguinea, angeiotenica, angiopyria, etc. Omnia ostendunt in hâc febre cor irritari.

Ad hæc, quæ sunt quasi morbi fundamentum, accedunt alia phænomena, varia pro variis casibus, et quæ proficiscuntur ex irritatione aut encephali, aut pulmonum, aut viarum gastro-intestinalium, aut uteri, aut renum, aut musculorum, aut articulorum, aut multarum simul ex his partibus, etc.; proùt causa efficiens vim intulit in hanc aut illam partem; aut in complures partes.

Interdùm hæc symptomata localia omninò absunt, et ea tantùm deprehenduntur quæ ex irritato corde proveniunt.

2°. Curatio simplicissima, plerumque solùm requirit quietem, famis usum, et diluentes potus. His adhibitis febris sedatur; æger recipit pristinam corporis valetudinem, prædispositus ad concipiendam, de integro, febrem inflammatoriam, ubi nova causa excitabitur.

Cùm in inflammatoriâ febre adest irritatio localis manifesta, eam ipsam aggredi opus est.

4°. Secta cadavera, quæ plerumquè tantùm prosunt ad perspiciendam morborum naturam, hìc mediocrem utilitatem afferunt, quoniam raró evenit ut hanc febrem mors consequatur. In admodùm paucis casibus, cadavera ostenderunt vasa sanguinea rubore suffusa ac inflammata, et phlegmasiæ vestigia in variis partibus.

Ex his superiùs dictis, possunt ea colligi :

1°. Irritatio gastro-intestinalis potest interdum febrem inflammatoriam efficere.

2°. Potest quoque hæc febris effici irritatis omnibus aliis partibus.

3°. Verùm sæpissimè eam constituit cordis irritatio.

4°. Si hanc febrem peperit causa aliena viis gastro-intestinalibus, et tamen deprehenditur partes illas esse affectas, credere licet has læsiones gastro-intestinales esse complicationes.

Nunc ad febrem biliosam transeo.

§ 2. — *In febre biliosâ.*

In hâc febre necesse est diversa colligere. Quod dat intelligendum nomen huic morbo à clarissimo nostro Pinel impositum, etenim omnia in hoc febrium genere læsionem declarant gastro-intestinalem vel gastro-hepaticam, ex quâ tantùm videtur febris proficisci.

1°. Causæ, magnâ ex parte, spectant ad ventriculum, intestinum, atque organa quibus bilis secernitur. Vim suam exercent, sive recto modo in has partes, sive per alias quas primùm afficiunt : hujus modi sunt causæ, ætas adulta, quo incipiunt illæ partes plurimùm prævalere, ætas matura, cùm semper prævalent; biliosum tempera-

mentum, quod præsertìm arguit digestio quæ maximè valet, et jecinoris in secernendâ bili præstantia; fervida cœli temperies, ac præcipuè cùm fervida simul atque humida est, torridæ sole regiones, quarum tanta vis est in digestionem atque ejus organa; animalis cibi abusus, ut animadverti solet in annis, cùm vegetantia frugesque parùm affluunt; oleosa aut pinguia alimenta; omnes cibi coctu difficiles, et quibus ventriculus laborat, aliqua in victu intemperantia, animi pathemata, ira, quæ, ut antiquitùs est animadversum, semper nonnullam vim exercent in organa epigastrica; tristes animi affectus, diutiùs producti, qui paulatìm eadem, quæ statìm animi pathemata atque ira efficiunt. Ipsa bilis retenta in suis canalibus ac receptaculo, vel in duodeno intestino, an non potest ibi contrahere vim irritantem, has partes stimulare, irritare, atque ità febrem parere biliosam, cujus non antè finis erit, quàm æger eâ liberatus fuerit vomitu spontaneo, provocatove, aut alvi profluvio; perindè quasi in indigestione? Hujus modi videntur esse casus, in quibus emesis sanationem efficit quodam modo repentinam, quæ frustrà ex antiphlogisticis remediis peteretur.

Hæ omnes causæ postulant ut diligenter inspiciamus ventriculum, et organa per quæ bilis secernitur.

2°. Non aliter se res habet de symptomatibus. Nemo potest non animadvertere illa proficisci à ventriculo, ab intestino et jecinore, atque illa consentire cum earum partium habitu. Itaque videmus sæpissimè, antè febrem biliosam, aliquâ molestiâ affici ventriculum cui non est alienum jecur, et quam dicunt *gastricam colluviem;* aut pari molestiâ laborare intestinum quam vocant *colluviem intestinalem:* mox, videmus eam nuntiari eructationibus, nauseis, vomitibus, cibi fastidio; quæ omnia symptomáta consentiunt cum ventriculo, intestino et jecinore. Deniquè cernimus hæc signa pathognomonica evidenter spectare ad hæc organa, et illorum læsionem declarare: ejus modi sunt lingua subflavescens, aliquandò rubra, os amarescens, vomitus biliosus, aut qualiscunque alius, molestia, plenitudo, epigastri borborygmus, diarrhæa biliosa, vel constipatio, etc.

Cætera symptomata his subjecta sunt : plurimùm variant, sæpè absunt, nec quidquam aliud sunt præter phænomena sympathica læsionis, quâ afficiuntur viæ gastro-intestinales et gastro-hepaticæ : quæ læsio videtur maximi esse ponderis et quasi fons undè omnia reliqua oriuntur.

3°. Huic conjecturæ maximè favet curatio. Constat enim imprimis è medicamentis vim habentibus in ea organa ; tantò sunt efficaciora, quantò eorum vis magis rectâ viâ ad ea organa pervenit. Si mutaveris has partes, pariter quoque mutabuntur symptomata : si in pejùs, graviora ; si contrà in meliùs, leviora. Deniquè semper congruunt symptomata cum statu organorum suprà dictorum, atque, eo desinente, cessant.

Cùm ita sit, nemo potest non fateri, in febre biliosâ, verè esse inter læsiones viarum gastro-intestinalium et gastro-hepaticarum, symptomataque, eamdem illam affinitatem, quæ causam inter et effectus.

4°. Quod omninò demonstratum haberemus et compertum, si anatomia pathologica nobis ostendisset læsiones, non numquàm existentes, earumque intentionem semper consentientem cum intentione symptomatum, quæ fuerunt observata, dùm vita manebat. Hìc verò, ut suprà, exiguam tantùm nobis lucem suppeditat ; quùm enim febris illa raró mortem afferat, non frequens est cadavera aperiendi occasio.

Attamen in medicorum scriptis reperiuntur quædam ab eis observata, qui hanc febrem epidemicè grassantem viderunt ; ex quibus patet ventriculum, intestinum, aut jecur læsa fuisse.

Ex his omnibus, cùm prædispositionibus, tùm causis efficientibus, ex symptomatibus et curatione, ex eis quæ animadversa sunt in sectis cadaveribus, quamvis hoc raró eveniat, licet colligere :

1°. Febris vere esse causam modò læsionem gastro-intestinalem, modò hepaticam, modò utramque conjunctìm.

2°. Læsiones gastro-intestinales aliquandò ad bilis præsentiam esse referendas.

§ 3. — *In febre mucosâ.*

Præcipua hujus alius febris phænomena, nos quoque admonent attentiùs ventriculum atque intestinum inspicere : namque hæ sunt partes ad quas pertinent præcipuæ læsiones. « *Semper in canali alimentari tàm externæ quàm internæ inflammationis notæ observantur.* (Rœderer et Wagler.) Ejus modi læsiones sunt multiplices et variæ; atque hìc deprehenduntur ferè omnes quas designavi. Mucosa membrana manifestè est inflammata, rubra, subcœrulea, cinerea, nigricans, gangrenata aliquandò, sæpè ulcerata, distincta rubris punctis, vel atris maculata ; conspersa aphthis variisque exanthematibus, ejus cryptæ magis apparent, mucositas semper uberior, crassiore visco membranam induit, atque obvestit. Cætera quoque abdominis viscera læduntur; sæpè tumet jecur, gangliones mesenterii afficiuntur, lienis amplior emollitur. Sed vulgò animadversum est has læsiones non adesse, nisi post diutinas febres, et videri profectas ex læso intestino. Rœderer et Wagler notaverant mesenterium inflammatum, gangrenatum, præcipuè in his partibus quæ respondent partibus intestini inflammatis et gangrenatis.

Pathologica igitur anatomia nobis exhibet in viis gastro-intestinalibus læsiones innumeras quas semper deprehendere est.

At quoque fatendum est cæteras mucosas membranas sæpissimè affici, et aliquandò tàm graviter quàm viarum gastro-intestinalium membranam. Itaque reperiuntur vestigia cystitidis, leucorrheæ, corysæ, ac catarrhi pulmonaris : deniquè mucosæ omnes membranæ videntur affectæ in vitalitate, structurâ propriâ, et proindè in secretione.

Nunc inquiramus utrùm hæ læsiones febrem antecedant an consequantur, et eodem quo suprà ordine pergamus.

1°. Huic febri *prædispositiones* sunt pueritia et senectus, sexus

sequior, lymphaticum temperamentum, constitutio chlorosi debilitata, in quibus semper prævalent membranæ mucosæ et uberiùs muci profluvium animadvertitur.

Aliæ causæ sunt loca depressa atque humida, pluviosæ tempestates et frigidæ, qualis autumnus ; alimenta coctu difficilia, aut prava; recentium olerum inopia; usus immodicus aut coactus ciborum ex farre constantium, sine fermento; acerba poma; carnes in putredinem vergentes; cænosæ aquæ; intermissa vini consuetudo; vomitoria, purgantia; vermes canali intestinali nidulantes. Porrò omnes hæ prædispositiones ac efficientes causæ vim præcipuam, recto obliquove modo, in mucosas membranas universas et singulas ventriculi atque intestini exercent.

2°. Causis symptomata egregiè respondent; præcipua ad mucosas pertinent mombranas; itaque ociùs seriùsve antequàm appareat febris, animadvertitur membranas mucosas esse in eo statu morbido, quod *mucosum habitum* vocant. Hæc molestia increscit gradatìm, novissimè febris supervenit, nec videtur aliud esse quàm ejus summum incrementum. Ubì demùm viget, signa quibus proditur ad universas mucosas membranas spectant et singulas viarum gastro-intestinalium.

3°. *Curatio* præsertìm ad membranas mucosas dirigitur : earum variis remediis pravum habitum student in meliùs vertere; nequè priùs febri finis imponitur, quàm sanitati restituantur.

Ex causis, symptomatibus, curatione, et sectis cadaveribus, ità licet colligere :

1°. Admodùm variæ læsiones mucosæ membranæ gastro-intestinalis, causæ sunt mucosæ febris.

2°. Unicæ verò causæ non habendæ sunt : annumerandæ quoquè sunt læsiones deprehensæ in cæteris mucosis membranis, et quæ ad efficiendam febrem etiàm contulerunt.

Non concipitur easdem læsiones è febre procedere : id nihil saltèm indicat.

Meræ complicationes haberi nec possunt; enim semper adsunt. Si

quid in febre mucosâ velut complicatio considerari posset, essent vermes atque numerosi qui inveniuntur. Sed pars in febre producendâ nimiæ est obscuritatis ut quidquam affirmare audeam.

§ 4. — *In febre adynamicâ.*

Hìc initium est maximæ seriei febrium, quas *graves* vocant. In superioribus sæpè deerat cadavera aperiendi occasio, quoniàm rarò lethales sunt : nunc verò infeliciter mortem inferunt sæpiùs : indè illis suprà dictum nomen impositum est.

In hoc febrium genere, in primis læsiones gastro-intestinales frequentiùs occurrunt : et præsertìm propter eas orta est controversia de quâ in propositâ thesi est disserendum.

Earum læsionum, quæ in cadaveribus plerisque reperiuntur summa est varietas : ibì quoquè plerasque reperire est quas suprà commemoravi; quin etiàm omnes : præsertìm inflammationes latiùs excurrentes, ulcerationes modò nascentes, modò abeuntes in suppurationem, modò ad cicatricem perductas : deniquè gangrenas, perforationes, exanthemata, fungos, etc.

Hìc multò difficilius est deprehendere quid sit affinitatis inter has varias læsiones et febrem, quàm in suprà dictis generibus, quia earum causæ sunt occultiores, et simùl, vis magìs complicata; quia symptomata non semper sibi constant, et interdùm videntur contraria; deniquè quia vicissìm maximè diversa remedia proposita ac celebrata sunt. Indè opiniones tàm dispares, imò pugnantes inter se, quas emiserunt de hoc morbo : tamen operæ prætium foret de illo, cùm sit gravissimus, aliquid certum constitui.

Vix audeo spondere me esse comperturum quas verè hìc partes agant intestinales læsiones : huic verò investigationi operam dabo, eodem modo quem adhibui in febribus jàm suprà exploratis.

1°. *Causæ:* hoc mihi primò videtur animadvertendum hanc febrem occurrere in omni ætate, in utroque sexu, in omni vitæ conditione,

in cunctis anni tempestatibus, in cunctis regionibus, ità ut nequeat ex ejus prædispositionibus ulla certa opinio deduci.

Causæ quibus plerumquè excitatur possunt, ut mihi videtur, duplices nuncupari.

In priori genere, annumeranda sunt quæ ad hygienem spectant, et tantoperè valent ad efficiendum tùm febres graves in universum; tùm adynamicas; qualia : carceres, hospitia, castra militibus frequentiora, obsessa oppida, locorum vicinitas in quibus putrescunt projecta animalium corpora, amphitheatra, verbo dicam, arctiora loca ubì marcet aër non renovatus, aut vitiatur emanationibus vegetantium animaliumve putrefactorum, hominum coarcervatio sive valeant, sive ægrotent, præsertìm si tententur febribus pravâ indole, gangrenis, ulceribus sordidis, carbunculis, dysenteriâ, etc.

Ad hoc causarum genus referre est quoquè alimenta in putredinem vergentia, corruptas aquas, pus resorptum in gravi vulnere, in abcessibus penitùs grassantibus, in tuberculis emollitis ac purulentis.

Porrò hoc mihi videtur commune inter has omnes varias causas, quòd simili agant modo, et præcipuè vim inferant in sanguinem morbificis seminibus inquinatum, quæ intromisit absorptio, sivè in summâ cute, sivè præsertìm (ut sæpè notavit experimento D. Segalas) in membranis mucosis pulmonum, sive in membranâ mucosâ gastro-intestinali, sivè in profundo partium tùm maximè purulentarum, sivè demùm compluribus simùl viis. Hæc semina morbifera cum sanguine circulantur, intromissa venarum absorptione, quæ videtur maxima et fortassè unica; cum sanguine ad partes omnes perveniunt morbique principium cum fluido vivifico fertur : verè sanguis est venenatus. Ex his septicis seminibus necessariò febris oritur; et indè consequuntur variæ partium læsiones, quæ sic non nisi effectus habendæ sunt. Infrà videbimus utrùm morbi syptomata, tenor, curatio hanc opinionem non adjuvent.

Diù medici de ætiologiâ, quam exposui, solummodò potuerunt conjicere, certa deerant argumenta. Nunc verò nihil dubii videtur

superesse, ex quo peritissimi physiologi, DD. Gaspard, Dupuy, Magendie, in solertibus experimentis hoc assecuti sunt, ut artificio atque ex arbitrio generarent symptomata gravium febrium in universùm, et nominatìm febris adynamicæ, aut saltem phænomena huic morbo simillima; dùm in sanguinem intromittunt, variis artibus, putrefactum fluidum, pus, aliave septica.

Non equidem ibo inficias lethales emanationes, quæ exhalantur ex ægrotantium corporibus, hominumve in angusto loco stipatorum, ex materiâ animali aut vegetali putrescente, posse rectà mero contactu in mucosas membranas valere : opinionem meam res ipsæ refellerent : etenim compertum est interdùm his emanationibus evidenter irritari oculum, membranam nasalem, fauces, pharyngem et laryngem; illis provocari epiphoram, sternutationem, irritationem faucium et tussim. Si verò tantùm valerent in partem quam contingunt neque se longiùs proferrent, quid multa? nisi esset absorptio, non animadverterentur tam graves ac vehementes effectus, exempli causâ, repentinæ mortes, quasi ictu fulmineo : quas quidem mortes non simplici emanationum contactu accidisse dici nequit; et, si alia desint argumenta, omninò probant absorptionem egisse.

In posteriori causarum genere, quibus febris adynamica efficitur, hæ recensentur quæ recto modo valent in organa, neque tamen ullum morbificum semen in œconomiam intromittunt. Hæ causæ naturâ irritantes, excitant phlegmasiam quæ, dùm vires in irritatam partem colligit, eis cæteras partes frustratur. Indè debilitas secundaria quoddam genus adynamicæ febris, quod diù medicos latuit : hìc nihil extraneum in œconomiâ fuit invectum, neque fuit ulla, ut veridicam, virium substractio, sed duntaxat aliqua virium derivatio; non jam æquis ponderibus librantur.

In hoc causarum ordine numeratur quidquid potest irritationem aut inflammationem efficere : condimenta, acres cibi, liquores alcoolici, aliquot materiæ venenosæ ad irritandum aptæ, rheumatismus

metastaticus, aut quivis alius, hæmorrhagia suppressa. His causis sunt assimilandæ si ad agendi modum spectaveris, phlegmasiæ gastricæ, gastro-intestinales, peritoneales, aliquot febres biliosæ, quæ possunt abire, ut aiunt, in febres adynamicas. Variæ hæ læsiones, adeptæ intentionem quæ prævalet, in partem affectam vires convertunt, quæ, illìc collectæ, videntur reliquum corpus deserere.

Uberibus verò hæmorrhagiis, nimiis evacuationibus quæ sponte aut casu fiunt, et quas referunt inter febris adynamicæ causas, non videtur rectà febris effici, sed quatenùs cæterarum causarum vim adjuvant. Optimè enim compertum habemus, et rei fidem faciunt physiologiæ experimenta, tùm maximè debilitatum hominem magis afficiendum fore, si in sanguinem admittatur particula septicæ materiæ, aut cujusvis alius : compertum quoque est eum fore magis idoneum contrahendæ phlegmasiæ, quæ, propter hanc debilitatem, virium libramentum facilùs tollet; indè consequitur adynamia.

Intelligere igitur est quanti momenti sit discernere hæc duo febrium adynamicarum genera ; quarum altera dici potest *per infectionem*, altera per virium *derivationem in dolentem locum*.

2°. Diversa esse debent symptomata, ut sunt reverà, prout febris adynamica hoc aut illo modo accidit. In febre, quam per infectionem vocamus, ineunte morbo, plerumquè nulla animadvertuntur localis læsionis symptomata. In hâc verò, quam dicimus per derivationem virium in dolentem locum, morbus primùm constat ex inflammatoriâ læsione, quæ plus minusve apparet, sive ventriculi, sive fistulæ intestinalis, sive peritonæi, aut ex febre biliosâ, etc. Quibus affectionibus ingravescentibus fit febris adynamica, quo modo suprà exposui. Hìc deniquè localia symptomata ab adynamicâ febre aliena, anteveniunt incrementum symptomatum quibus constituitur : contrà in febre per infectionem dictâ, hæc symptomata localia prænuntia nulla sunt.

Locales læsiones quæ notantur, consequuntur febrem et pendent ex

depravato sanguine. Fortassis quoque proficiscuntur ex confluente, ad dolentem partem, materie heterogeneâ, quæ fuit in sanguinem intromissa. Quod saltem posset colligi ex animalibus quæ adhibuit in experimenta D. Gaspard. Fortassè hìc nonnulla eveniunt eis affinia quæ notantur in febribus eruptivis, exempli gratiâ, inoculatione et variolis hoc profectò licet conjicere, vix tamen audeo asseverare.

3°. Tantùm est efficax curatio quatenùs morbi generi est accommodata : in priore igitur febre idoneum est adhibere, si unquàm aliàs, tonica, excitantia, et quidquid potest corpori vires dare resistendi seminibus extraneis morbificis, quæ fuerunt intromissa, quibusque inquinatur. Alioquin in eis adhibendis operæ prætium est rationem habere quo in statu sint viæ gastricæ. Contrà debilitantia antiphlogistica aut essent sine utilitate aut cum periculo. Ergò in hoc priore febris genere decet confugere ad cinchonam, cujus falsò usum vetare nonnulli voluerunt. Simul necessarium est aërem purgare morbificis seminibus infectum, artibus quas præcipit chymia.

In posteriore genere adynamicæ febris quæ symptomatica verè est, debemus præsertìm dolentem intueri partem, inflàmmatam, atque ejus statui curationem accommodare. Caveamus ne nos depiciat quædam debilitatis species : hæc debilitas falsa est, ut suprà exposui. In hoc omninò unico casu antiphlogisticâ medicatione uti licet.

Ex suprà dictis, possum, ut arbitror, in propositâ thesi, sic colligere :

Læsiones quas exibent viæ gastro-intestinales in adynamicis febribus prioris generis, non sunt morbi causæ;

Vera morbi causa sita est in infecto sanguine, quem inquinaverunt septica semina, absorptione intromissa. Uno verbo, constat ex venenato sanguine. His læsionibus morbus nullo modo constituitur, quæ possent nullæ esse, cùm morbus ille idem maneret, quod aliquandò usu evenit. Habendæ sunt effectus venenati sanguinis.

Forsitan hoc mihi objicietur, nullâ re demonstrari sanguinis infectionem, et meram esse hypothesim, cùm omninò nihil probet analy-

sis diligentior. Sic repondere est : etiam si analysis nihil singulare in sanguine ostendat, non ideò est colligendum nihil in eo inesse. Nùm analysis nobis manifestiùs exhibet quid sit noxii in aëre circà paludes Lungobardiæ?

Si quis interrogaverit quoque, cur hoc semen heterogeneum intromissum in sanguine, simul circulans per omnes corporis partes, et totum corpus afficiens, maximè lædat vias gastro-intestinales; respondebo veram causam mihi non esse omninò compertam. Prætereà, admonebo hoc videri pendere ex propriâ naturâ miasmatum et virûs, quòd potissimùm hanc aut illam partem invadant, et eâ re ipsâ partìm constitui eorum specificam indolem. Sic principium contagiosum variolarum semper vim suam in cutem exercet; sic miasmata pestis afficiunt gangliones, et producunt bubones, carbunculos, pustulas; sic deniquè quodque miasma, quodque virus, suum semper habet effectum peculiarem. Observemus insuper vias gastro-intestinales non omninò solas affici post febrem adynamicam prioris generis, et aliquandò inveniri læsiones in aliis partibus.

Fieri quoquè potest, ut hominis constitutio causa sit cur noxium principium hancaut illam partem potissimùm lædat. Etenim pone omnes homines qui simul atque sunt subjecti agentibus infectionis causis quas indicavi, parùm salubribus aut exiguis vescantur alimentis, quod sæpissimè in obsessis urbibus accidit; qui abutantur fermentatis liquoribus ac condimentis, eâ mente ut morbi contagionem arceant, quod etiam frequenter accidit. An non hæ omnes causæ quæ vim suam exercent in ventriculum et intestinum, satis per se eorum organorum frequentes læsiones explicant? Imò, sæpè debet accidere hanc læsam partem jam morbo tentari, irritari, inflammari, quùm prodit febris per infectionem et eam multò graviùs lædit.

Insuper probè intelligitur apud quosdam homines ventriculum et canalem intestinalem posse, pro idiosyncrasiâ, magis esse idonea, cæteris partibus, ad excipiendam vim seminis morbifici.

Nunc pone, pro his prædispositionibus, pendentibus ex ægrotan-

tium victu ac constitutione, quæ quodam modo morbum in viscera abdominalia evocant, esse aliam prædispositionem; exempli gratiâ, pone cerebrum et nervos morbo experiendo esse idonea, ut accidit apud homines timidos, meticulosos, qui assiduis indulgent terroribus, apud nervosos homines; tum febris adynamicæ loco, ataxica erit observanda.

Poterit quoque uterque læsio simul convenire; possunt enim simul cerebrum et nervi, ventriculus et intestinum affici : hæc verò ad inspiciendam febrem pertinent.

Altero etiam modo ratio redditur, quî nascantur ulcera in adynamicâ febre.

Ubì hic morbus pervenit ad illam periodum gravem, quæ non jam sanationem admittit, quùm totius corporis machina, proximâ ruinâ imminente, videtur quodam modo in chymicarum legum potestatem venire, tùm intelligitur intestinum, si potuisset tam diù morbo resistere et intactum manere, nunc afficiendum esse; indè graves læsiones, gangrenæ, quales in cute sæpiùs videntur. Aliquæ ex repertis læsionibus, potuerunt hoc modo accidere, cui favet commoratio intestinalis materiæ et degeneratæ secretiones; ut cutis sordes et humiditas gangrenam adjuvant.

Tempus quo maximè nascuntur ostenditur, ut à quibusdam medicis adnotatum est, phænomenis singularibus in abdomine, qualia sunt : meteorismi, dyarrhæa fœtida. Cæterùm perrarò evenire debent hæ læsiones quæ tùm febris effectus essent.

§ 5. — *In febre ataxicâ.*

Læsiones gastro-intestinales febrem ataxicam secutæ sæpissimè reperiuntur; et hæ læsiones, ut in priori febre, sunt valdè variæ : aliquot medici has duxêre morbi causam, et, eis testibus, febris ataxica nihil aliud est reverà, quàm gastro-interitis, ad quam symptomata accedunt cerebralia et nervosa. Videamus in ejus causis, symptoma-

tibus, et curatione si inveniri possit undè hanc opinionem excluso-riam probemus.

1°. *Causæ*: huic morbo prædispositiones sunt : temperamentum nervosum, corporis habitudo irritabilis, juventus, ætas adulta, sexus sequior, mollis educatio, mens maturiùs explicata, ingenii labores in umbratilibus studiis, vehemens meditatio et longiùs producta de rebus abstrusis, tristes animi affectus, vehementia et immodica pathemata, tædium, nostalgia, morbi aut mortis metus; uno verbo, quidquid valet in nervos.

Cæterùm hæc febris, iisdem datis hygienicis occasionibus, se explicat et eisdem causis efficitur. Harum igitur duplex series potest esse.

Prior series: hæ causæ à cunctis auctoribus indicatæ sunt, ut, in adynamicâ febre, habitatio in angusto loco cujus aër non renovatur, et vitiatur emanationibus vegetalium, animaliumve, in putredine vergentium, aut multorum hominum frequentiâ, præsertìm si afficiantur febribus adynamicis, ataxicisve, scorbuto, gangrenâ, cancro, etc.

Loca palustria, præsertìm dormientibus noxia, sorditudo, prava alimenta.

Porrò hæ causæ, eædem ac in febre adynamicâ, sanè hìc eodem agunt modo, scilicet intromisso in œconomiâ qualicumque semine morbifico, deniquè vitiato et venenato sanguine, per absorptionem variis partibus factam. Si tunc accedit febris ataxica, pro febri adynamicâ, sine dubio, ut suprà exposui, in causâ habendæ sunt variæ prædispositiones hominum, quarum ea est natura, ut potiùs cerebrum et nervi quàm ventriculus et intestina afficiantur.

Posset quoquè in causam afferri, indoles specifica in naturâ principii intromissi in sanguine, et poni principium febris ataxicæ differre ab adynamicæ principio : sed non existimo rem sic se habere, 1°. quoniàm hæ duæ febres eveniunt in iisdem casibus; et tantùm interest inter prædispositiones quæ nunc ad ventriculum et intestina spectant, nunc contrà ad cerebrum nervosque; 2°. quoniàm sæpè unà conveniunt apud homines in iisdem hygienicis conditionibus

positos; aliquandò etiam propria utrique symptomata unum atque eumdem ægrum invadunt, ut jam indicavi : tùm fit complicationum gravissima, propter læsarum partium præstantiam.

In posteriori serie causarum, quibus efficitur febris ataxica, annumerandæ sunt quæcumque rectà valent in organa, neque intromittunt in corpus ullum semen extraneum, neque sanguinem inquinant miasmatibus aut veneno: vehementior animi affectus, mœror gravis, iracundia, æstus nimius, insolatio, alimenta excitantia, acria, potus alcoolici, variæ phlegmasiæ, supressa hæmorrhagia, herpes metastatica, repercussa tinea, ut sæpiùs in pueris animadvertitur.

Porrò, ex his causis, quæ sunt satis multæ, alias videmus rectà in cerebrum vim suam exercere, alias in ventriculum, intestina aut quamlibet partem.

Modus agendi earum quæ rectà agunt in cerebrum facilè deprehenditur. Non omninò item est de eis quæ agunt in ventriculum, aliasve partes. Hìc confugiendum est ad vim secundariam, sympathicam, quam exercent partes illæ anteà affectæ in cerebrum nervosque, quorum tùm læsio tantùm consequitur. Hìc verè earum partium læsio, exempli gratiâ, gastro-enteritis, causa fuit, vel potiùs occasio cur cerebrum ac nervi afficerentur. Nunc transeo ad symptomata.

2°. Symptomata huic morbo maximè insignia, quæ sunt pathognomonica, jubent nos respicere ad nervos et cerebrum, quæ sunt ejus sedes et læsionis indicia : nimia vis sentiendi, vagi oculi, insomnia, sopor, vertigines, delirium, cephalalgia, dolor in dorso, in artubus, agitatio, carphologia, lingua balbutiens, tremor, subsaltus, tendinum convulsiones, tetanus, catalepsia, epilepsia.

Nunc verò hæc symptomata, ataxicæ febri propria, reperiuntur ineunte morbo; nunc verò contrà antecedunt symptomata localis alicujus læsionis, quæ, cùm vim suam referat in cerebrum, mutatur atque in febrem ataxicam abit. Prior casus respondet causis quæ rectà agunt in cerebrum ; posterior causis vim in alia exercentibus, exempli causâ, in vias gastro-intestinales.

3°. Hìc curatio, ut in febre adynamicâ, morbi speciei est accom-

modanda. In febre ataxicâ prioris generis, in eâ quæ fit per infectionem, idonea sunt si unquàm aliàs, cardiaca, tonica, excitantia, china-china quam falsò medici quidam voluerunt interdicere. Hæc remedia videntur corpori resistendi vires imprimere, quæ aut adversantur aut medentur noxiis effectibus principii in sanguinem intromissi. Hìc quoquè habenda est ratio in quali statu sit ventriculus.

In febre ataxicâ posterioris generis, in eâ quæ fit per irritationem rectam sympathicamve cerebri, adhibentur remedia huic læsioni apta, et simul tollitur cùm febre cujus causa fuerat.

Sic statuendo illa discrimina, quæ sunt maximi momenti, poteris tibi rationem reddere felicium curationum quas præstiterunt contraria remedia.

4°. Anatomia pathologica post ataxicas febres utriusque generis, læsiones admodùm varias nobis exhibet. Constantissimè reperiuntur quæ cerebrum invadunt : constant ex vestigiis phlegmasiæ, ex menyngibus inflammatis, ex ipso cerebro firmiore cujus vasa uberiore sanguine distenduntur, ex serosâ colluvie majori, minorive quàm aliquandò reperiunt, vel in rachide.

Porrò læsiones consentiunt cùm symptomatibus. Plerumquè, non autem constanter, simùl occurrunt inflammationis vestigia plùs minùsve manifesta in ventriculo et fistulâ intestinali aliisve in organis, in jecinore, renibus, vesicâ, utero, pulmonibus, pleurâ, etc. Aliis in casibus non tàm numerosis, cerebrum et menynges sola sunt affecta, sanis reliquis partibus. Apud alios ægrotos solæ viæ gastro-intestinales læsæ sunt : hoc verò admodùm raro venit. Deniquè apud nonnullos, ut affirmant quidam auctores, reperitur omninò nihil : quod fieri posse intelligitur in febre ataxicâ per infectionem, ubì debile corpus afficit, quod citò concidit, et priusquàm morbiferum principium in sanguine intromissum, tempus habuerit vim suam exercendi ità ut relinquat vestigia. Ex suprà dictis possunt hæc colligi :

1°. Læsiones gastro-intestinales repertæ post febrem prioris generis quam per infectionem vocamus, non morbi causæ sunt. Vera causa est in sanguine quem inquinavit septicum principium absorptione in-

ductum. His læsionibus, et aliis quæ occurrunt, morbus minimè constituitur : hoc est argumento, quòd interdùm omninò absunt, et morbus tamen exhibet phænomena. Videntur proficisci ex venenato sanguine, quod ostendere conatus sum, cùm de febre adynamicâ disserui.

2°. Fieri potest ut in aliquot casibus meram complicationem constituant; exempli causâ, si ventriculus canalisque intestinalis læsi fuissent antè febris initium.

2°. In febre ataxicâ posterioris generis, puto eas esse nunc *causas*, nunc *effectus*, nunc *complicationes*.

Causæ sunt, quùm causa morbi efficiens rectà egit in vias gastro-intestinales, quæ rursùs agentes in cerebrum sic febrem provocaverunt ut suprà admonui.

Effectus contrà sunt, cùm cerebrum primitùs læsum rursùs egit in vias gastro-intestinales, quod aliquandò observatur apud pueros in quibusdam febribus cerebralibus.

Deniquè potest intelligi, eas in aliquot casibus, tantùm esse *complicationes*, hoc est, morbi neque causam, neque effectum.

§ 6. — *In febribus pestilentibus* : { *typho.* / *febre flavâ.* / *orientali peste.* }

Censeo eodem in ordine hoc triplex febrium genus posse annumerari. Multa inter eas sunt affinia ; et si ad propositam thesim spectes licet in eis fermè eadem colligere. Læsiones gastro-intestinales frequenter occurrunt, et præsertìm in typho et flavâ febre, de quibus plura habemus comperta quàm de orientali peste quæ semper longè à nostris regionibus sævit. Hæ sunt gravissimæ : auctores notaverunt inflammationes latiùs fusas, gangrenas, ulcerationes.

1°. *Causæ* : his omnibus morbis hoc est commune quòd epidemicè grassantur, et in datis occasionibus accidunt, quòd possunt œconomiam inficere et illam iniquinare morbiferis principiis, per absorptionem.

Itaquè deprehenditur *typhus* in locis ubi versatur magna homi-

num frequentia præsertìm cùm morbo aliquo laborant, ut per et post bella, in carceribus, in navibus, in nosocomiis, in castris animadvertitur : occurrit quoquè in locis quæ putrium sordium receptaculo sunt proxima, post cruentum prælium, in locis cadaveribus constratis, etc.

Videtur non aliter esse de *febre flavâ*. Vulgò constat eam originem ducere ex miasmatibus sparsis per aëra, ex vaporibus quos emittunt maris littora, aut paludes, ubì aër difficilè renovatur, sive ex quovis alio infectionis fonte.

Eademquoque ætiologia in *orientali peste* deprehenditur. Complures auctores qui eam inspexerunt quasi in natali patriâ, unanimi consensu fatentur eam proficisci ex vaporibus quos mittit humus post Nili inondationem.

Natæ sic in locis et occasionibus datis, possunt hæ variæ febres ad alia loca transire, et serpere magis minùsve latè, variis modis, de quibus dissident medici, et quos explorare non est propositi operis.

Satis mihi scire horum morborum causam derivare, ut in quibusdam febribus adynamicis et ataxicis, ex morbiferis emanationibus, quæ pervadunt sanguinem, inficiunt, inquinant. Hoc morbiferum principium simulatque in œconomiam fuit inductum, effectus producit variabiles pro ejus naturâ, et præsertìm pro locis, regionibus, latudinibus; deniquè pro corporis habitudine singulis ægrotis propriâ. Hinc magna discrimina quæ hos morbos dividunt et in singulis animadvertuntur.

Hìc, sicut in casibus similibus suprà indicatis, sine dubio habenda ratio est effectûs localis, qui ex ipso miasmatum contactu proficiscitur : hæc verò causa, ut verisimile est, non magna efficeret sola per se, nisi esset absorptio.

2°. *Symptomata* horum morborum in universum, singulorumque sunt admodùm varia. In *typho* deprehenduntur symptomata læsionum cerebralium, læsionum in visceribus thoracicis, in viis gastrointestinalibus, vis aliqua tendens ad cutem; quæ omnia inter se succedunt ordine minimè certo.

In febre flavâ viæ gastro-intestinales et gastro-hepaticæ videntur præsertìm affectæ, quod, meâ sententiâ intelligitur si consideretur æstus regionis in quâ sævit.

In peste orientali præcipuè animadvertuntur cutis læsiones, bubones, carbunculi, pustula.

3°. *Curatio :* Hoc quoque commune habent hi morbi ut ferè semper adhibitæ curationi resistent, quantumvis numerosa tentaveris remedia. Quid enim valent medicamenta quæ miasmatum nec generationem, nec absorptionem impediunt? etenim solummodò verè sunt efficacia hygienes præcepta, purgandi aëris et ægros segregandi : in universum, hi morbi non priùs imminuuntur et cessant quàm causæ è quibus orti sunt, ipsæ imminutæ sint et cessaverint.

5°. Secta cadavera læsiones varias ostendunt, prout morbiferum principium, in sanguine intromissum, vim suam direxit in hanc illamve partem, pro ægrotantium variâ habitudine, et cæteris prædispositionibus quas suprà indicavi, febrem adynamicam ataxicamque inspiciendo.

Ex suprà dictis, hæc, ut arbitror, possunt colligi :

Læsiones repertæ in viis gastro-intestinalibus post febres pestilentes, typhum, febrem flavam, orientalem pestem, non sunt morborum causæ. Vera inest causa in sanguine, quem varia miasmata per absorptionem inquinaverunt. Hoc est argumento has læsiones nullo modo causas esse, nec necessarias efficiendo morbo, quòd possunt nulla esse, et hujus morbi tamen propria manere phænomena.

Hæ læsiones et quæcumque aliæ occurrunt in variis organis post hos morbos, natæ ex venenato sanguine videntur.

Possunt quoque in aliquot casibus constituere meras morbi complicationes, hoc est, neque causam esse, neque effectum. Cæterùm fateor, cùm mihi defuerit occasio hos morbos explorandi, non sine aliquâ diffidentiâ de eorum naturâ pronuntiare.

§ 7. — *In febribus intermittentibus.*

Solent quoque post has febres variæ læsiones in abdomine, ac præ-

sertìm in viis gastro-intestinalibus reperiri, quas auctores harum febrium causas, effectum, complicationemve esse censuerint, prout de earum naturâ opinabantur; atque, ut nonnulli existimant, adhùc sub judice lis est. Res forsitan fieri poterit lucidior, si attentiùs exploraveris horum morborum causas et phænomena.

1°. Neminem fugit febres intermittentes in locis regnare quæ sunt proxima paludibus, lacubus, stagnis, rivis, qui pigro cursu fluunt in alveo lutoso; eas quotannis, constitutis temporibus renasci, in regionibus ubi semper stagnant aquæ; contrà verò, toties apparere in certis locis, quoties fortuito casu fiunt stagna, sive propter effusos imbres, sive propter aliquam exundationem; quòd si aquis stagnantibus iter fuerit apertum, ac omninò siccatæ, aut submersæ fuerint paludes, febres intermittentes cessare; sed iisdem causis redeuntibus pariter redire; deniquè illas plerumquè ex aliquo fonte infectionis proficisci, atque sic verè endemicas esse in Lungobardiâ, circa Romam et apud Bievræ littora.

Hæc miasmata, hæc palustres emanationes duplici tantummodò has febres possunt efficere; aut contingendo cutem mucosasque membranas, aut corpus penetrando per absorptionem. Verisimile est, ut anteà dixi, mediocriter valere contactum, qui, si esset solus per se, nec accederet absorptio, nullo modo febrem efficeret. Hùc accedunt ad confirmandam hanc ætiologiam egregia experimenta physiologistorum quos suprà nominavi.

Neu quisquam à me sciscitetur, quomodò agant ista miasmata in corpore simùl admissa, ut febrem intermittentem pariant, atque ita accessus excitent periodicos : hoc omnes latet, atque nihil aliud possim afferre nisi hypothetica. Quamdiù ipsa ignorabitur miasmatum natura, nemo poterit intelligere quomodò agant. Utrùm intermissio pendet ex ipsâ miasmatum naturâ, an ex aliquâ ægri occultâ dispositione? Nùm est in causâ, quòd hæc miasmata periodicè et statis temporibus exhalantur, sive propter solis vim, sive propter aliam qualemcumque vim? Si ità se res haberet, profectò fieret ut, quicumque laborant febre intermittente, cùm grassatur epidemicè, eodem

momento accessum experirentur : porrò non video quidquam simile fuisse unquàm observatum : attamen res est digna quæ exploretur, etenim si notesceret intermissionis causa, forsitan indè salubria proficiscerentur documenta ad curationem adhibendam.

2°. *Symptomata.* Quamvis nequeat enodari febris intermissio, attamen est maximi momenti in thesim propositam. Possumus conjicere hanc febrem, ideò quòd intermittitur, non pendere ex læsione intestinali, aut quâvis aliâ; enimverò non verisimile has læsiones alternis vicibus esse et non esse, ut à quibusdam affirmatum est, in his novissimis temporibus. Non facilè recipietur gastro-enteritidem quotidiè, secundo quoque die, tertio, etc., apparere, ut post aliquot horas abeat, et rursùs stato tempore revertatur, iterùm abitura.

Si febris intermittentis accessus reipsà affinitatem haberent cum viscerum læsione, animadverteretur inter hos accessus viscerumque statum necessarium intentionis consensum. Ità, quò gravior foret viscerum læsio, eò ipsi accessus forent vehementiores : porrò, hoc nullo modo fuit observatum. Etenim sciunt in primis febris temporibus accessus esse gravissimos; attamen tùm nulla animadversa est læsio notabilis in visceribus. Tantummodò quùm diù duravit morbus et jam accessus multò sunt leviores, læsiones fiunt manifestæ, lienis jecurque tument : ità ei effectus decrescerent, simulatque cresceret læsio, quæ eorum causa existimatur. Hanc inversam intentionem consideranti, quæ existit inter febrem et læsiones abdominales, licet credere has læsiones non esse morbi causas.

Cùm accessum febris veteres nostri situm existimabant in quâdam colluctatione, quâ laborabat œconomia, vitam inter et principium morbiferum, ad eam extinguendam spectans. Forsitan ad verum propiùs accedebant quàm putes; etenim, si febrium intermittentium ætiologia vera est, qualem exposui, hæc veterum opinio minimè fundamento caret; quin etiam videtur vero proxima.

3°. Modus quo curantur hæ febres, fortassè maximum est argumentum adversùs medicorum sententiam, qui opinantur eas pendere ex irritatione, aut inflammatione gastro-intestinali intermittente.

Reverà, si constant ex periodicâ gastro-enteritide, quomodò fieri posset ut tonica, cinchona, phlegmasiam non efficiant graviorem? Porrò nemo nescit quàm cortex peruvianus sit efficax; dùm antiphlogistica, quæ secundùm illam opinionem forent adhibenda, ferè semper nullo modo prosunt, imò nocent.

Multò faciliùs sibi reddit rationem, cur valeant efficaciter tonica, et præsertìm cinchona, si quis admisit ætiologiam infectionis; illi saltem non repugnat horum medicamentorum successus: re quidem verâ, jàm, possumus existimare, ut suprà dixi, cinchonam imprimere œconomiæ quasdam resistendi vires, quæ impediunt virus absorberi. Alia quoque est opinio (et si qua mihi foret eligenda, eam potissimùm amplecterer): licet conjicere cinchonâ œconomiam sic instrui ut jàm miasmata nihil in illam valeant. In hâc hypothesi ejus vis esset affinis vaccinæ ad impediendam variolam, guaco, ( ) quod viperæ virus nullum efficit. Utcumque meram hùc affero conjecturam.

4°. Anatomia pathologica læsiones ostendit, non solùm in viis gastro-intestinalibus, visceribusque abdominalibus, verùm etiam in cerebro, in rachide, in pulmonibus.

Ex suprà dictis, meâ quidem sententiâ, licet ità colligere:

Læsiones repertæ post intermittentes febres in viis gastro-intestinalibus, non sunt morbi causæ: vera causa est principium heterogeneum, in sanguine intromissum.

Hæ læsiones, et quæcumque aliæ repertæ post intermittentes febres, sunt effectus: verùm intelligitur posse eas fieri duplici modo. 1°. Possunt proficisci ex ipso sanguine venenato, ut suprà exposui, in cæteris febribus quæ per infectionem accidunt. 2°. Possunt quoque fuisse effectæ modo quo variæ accessûs periodi aliæ aliis succedunt.

Cognitum est in frigoris periodo, vires et sanguinem in interius refundi. Credere licet sanguine iterùm ac iterùm refuso posse lædi viscera: neque aliter profectò fiunt nonnullæ ex læsionibus quæ post has febres observantur;

Deniquè intelligere quasdam ex his læsionibus posse meras esse complicationes.

In superiori investigatione de febribus intermittentibus, non existimari opus esse *intermittentes benignas* discerni ex *intermittentibus perniciosis*. Etenim hæ tantummodò ab illis differunt quòd major est symptomatum intentio et gravior est læsio et prævalens unius cujusdam aut complurium ex præcipuis organis.

§ 8. — *In febre hecticâ.*

Pauca dicam de hâc febre, quæ ferè semper videtur cùm læsione aliquâ locali, cum phlegmasiâ, cum suppuratione altâ, cum tuberculis in variis corporis partibus convenire.

Plerumquè, et præsertìm in initio, nihil aliud exhibet quàm complura sympathica symptomata, quæ ex læsi organi dolore proficiscuntur. Verùm in pluribus aliis casibus, et quoties suppurat læsa pars, symptomata quibus constituitur hæc febris, parit cùm localis læsio, tùm præsens pus, in sanguinem per absorptionem admissum. Indè dividitur in *hecticam per irritationem* et *hecticam per suppurationem* vel potiùs *per resorptionem*. Quò pus pervadit sanguinem, temporis admonent notabilia symptomata, sudor acidus, fœtidus, diarrhæa purulenta, colliquans, etc.

Hæ egestiones forsitan omninò corpus liberarent à fluido nocivo quod illud pervadit, nisi usquè novum admitteret absorptio.

Repertæ læsiones post has febres in viis gastro-intestinalibus possunt in multis casibus haberi morbi causæ. Harum morbi chronici, gastritides, gastro-enteritides, sæpiùs hecticam febrem efficiunt.

Utcumquè fieri potest ut hujus morbi causa pendeat ex phlegmasiâ, tuberculis, aliquâ parte suppurante, ex pulmonibus læsis.

Læsiones intestinales quæ in his ultimis casibus possunt reperiri, complicationes habendæ sunt.

Fortassè quoque apud quosdam ægros, effectus sunt puris resorpti.

FINIS.